

format. ut per idoneos vicarios, etiam perpetuos, nisi ipsis ordinariis pro bono ecclesiarum regimine aliter expedire videbitur, animarum cura laudabiliter exerceatur. Hinc doctores inferunt, ab Episcopi abitrio, habita ratione circumstantiarum, pendere deputationem vicariorum sive perpetuorum sive temporalium. Quinimo juxta Giraldi (1) certum est ex hodierna praxi juxta assertum Benedicti XIV de Syn. lib. XII, cap. 1, n. 2, quod deputari soleant vicarii temporanei, ad nutum amovibiles (2): quamvis tamen, ad occurrendum malis, quæ animarum saluti proveniunt ex operariis ad nutum amovibilibus, jure dicatur melius animarum curæ consuli per vicarios perpetuos (3), et ita in recentioribus S. C. C. resolutionibus etiam præscribatur (4).

VI. Cum cura actualis illiusque exercitium transferatur in vicarium, huic competit omne exercitium curæ privative quoad ceteros de capitulo, cum omnibus emolumentis veris parochis competentibus (5), ita quidem ut alii canonici illius exercitio sese immiscere nequeant (6).

Vicarii curati, sive perpetui sive amovibiles, diebus dominicis et festivis missam pro populo celebrare et applicare tenentur; et non sufficit missa conventualis, quæ a capitulo pro benefactoribus quotidie applicatur (7). Si ipsi vicarii missam conventualem celebrare debeant, tunc pro missa parochiali alium substituere tenentur (8). Si duo sint vicarii curati ejusdem parochiæ, non uterque, sed alteruter tantum missam pro populo in dominicis et festis applicare tenetur (9).

(1) Expositio juris Pont. p. 2, sect. XXIII.

(2) Pallottini *capitulum* § 2, n. 110.

(3) S. C. C. 24 Maji 1710, dub. 1, *Assisten*; 2 Jan. 1731, § 6 et 7, *Null. seu Mont. Cas*; 20 Dec. 1766, § 28, *And.* apud Zamboni tom. 1, *Capitulum eccl.* § II, n. 4, et tom. IV, *Vicarius curatus*, § II; Bouix de capitulis p. 2, cap. V, § IV.

(4) Acta S. Sedis, vol. XII, 1880, fol. 490-492.

(5) S. C. C. 2 Jun. 1696, dub. 4, *Isernien.* apud Zamboni *Canonici* § I, n. 15.

(6) S. C. C. 22 Jan. 1764, § 6, *Faven.* apud Zamboni tom. 4, *Canonici* § II.

(7) S. C. C. 13 Ap. 1715, dub. 7, *Amalphytana*; 18 Mart. 1719, dub. 6, *Ferrarien*; 17 Feb. 1731, dub. 2, *Pientina*; 8 et 29 Aug. 1744, dub. 1, *Hortana*; Ap. 1781, § 6, *Nul. Feren.* apud Zamboni tom. 1, *Canonici* § I, n. 27, 31 et 52; *Capitulum ecclesiast.* § II, n. 5; tom. 4 *Canonici*, § II in fine; Pallottini, *Canonici* § I, n. 166 et seqq.

(8) S. C. C. 19 Aug. 1713, dub. 6, *Batneoregien*, et 16 Jun. 1770, § 9, *Fésul.* apud Zamboni tom. 1, *Canonici* § I, n. 23 et tom. 4 *Canonici*, § II. Vid. etiam Acta S. Sedis, vol. XXIV, fol. 669.

(9) S. C. C. 19 Aug. 1713, dub. 7, *Batneoregien*, supra cit.

Vicarii curati infra missam parochialem ordinarie concionantur, annuntiant jejunia et festa, publicant matrimonia, decreta, indulgentias aliaque hujusmodi, nisi adsit consuetudo hæc faciendi infra missam conventualem (1).

VII. Vicarius curatus excusatur a choro, et lucratur distributiones, tam ordinarias quam extraordinarias, dum fidelium excipit confessiones, et cætera sacramenta administrat paræciæ incolis, sive in ecclesia sive extra eam infirmitatis causa, exceptis dumtaxat emolumentis, quæ ex voluntate testatorum debentur actu præsentibus, ut dicitur cap. XXX, § 7 (2).

## CAPUT X.

### DE PRÆLATIS CANONICIS.

#### § 1. De Episcopo diocesano canonico.

I. Episcopatus et canonicatus sunt per se incompatibiles, nisi per dispensationem pontificiam vel per consuetudinem immemorabilem præbenda canonicalis mensæ episcopali unita sit (3). In hoc casu Episcopus specialem possessionem, et separatam a possessione episcopatus accipere non tenetur (4).

II. Si Episcopus diebus ferialibus choro intersit, rocchetto et mozzetta indutus, assistit in primo stallo chori (5).

Episcopus tamen, etsi canonicus, exemptus est a choro et a peragendis functionibus canonicalibus (6). Si autem choro non

(1) S. C. C. 14 Nov. 1711 et 27 Maji 1713, dub. 1, *Vercellen.* et 8 Jun. 1724, dub. 1 et 2, *Novarten.* apud Zamboni, *Præpositus* § III, n. 21, 34 et 35; *Analecta juris Pont. sér. 9*, fol. 319, XIX.

(2) S. C. C. 15 Mart. 1631, dub. 2, *Viterbien*; 12 Jan. 1760, § 5, *Bar. Cong. et Exp.*; 11 Jun. 1774, § 3 et 9 *Laur. Jub.* apud Zamboni tom. 1, *Canonici*, § I, n. 6, et tom. 4, *Canonici*, § II, et *capitulum eccl.* § III; Scarfantonus lib. 2, tit. X, n. 8-16; Pallottini, *Canonici*, § I, n. 146 et seqq.; Acta S. Sedis, vol. I, fol. 289, vol. XIII, 1880, fol. 102-108.

(3) Thomassinus part. 1, lib. 3, cap. 10, n. VI; Giraldi Expositio jur. Pontif. p. 1, sect. 420.

(4) Zypæus juris Pontif. novi lib. 3, de clericis non resident, n. 34.

(5) Vid. Praxis Pontificalis, tom. 1, n. 18 et 60, et tom. 2, n. 142.

(6) Scarfantonus lib. 2, tit. IV, n. 14 et 15.

assistat, ei quidem debentur fructus præbendæ, distributiones vero quotidianas, nisi divinis intersit, percipere non potest (1).

III. Episcopus, qua canonicus, gaudet jure assistendi capitulo, nisi agendum sit de suo vel suorum privato interesse, in quo casu abstinere, et si adfuerit, exire debet; habet vocem et votum in capitulo, sicut omnes canonici; atque sedet in primo et digniori loco, ut dicitur cap. XXXII, § 12.

Quamvis autem Episcopus diœcesanus primo loco sedeat, id tamen non impedit, quominus prima vel alia dignitas, vel quis-cumque canonicus aliquid proponat, notet aut observet, modo debita semper servetur reverentia erga Episcopum præsentem.

### § 2. De Episcopo suffraganeo canonico.

I. Episcopus suffraganeus, hoc loco dicitur ille Episcopus titularis, qui Episcopo diœcesano ob ingravescentem ætatem, aut male affectam vilitudinem, vel ob diœcesis extensionem in auxiliarem datus est.

Canonicatus quidem natura sua cum munere suffraganei incompatibilis est, facilem tamen se præbere consuevit Apostolica sedes, illius retentionem concedendo, adjectis opportunis legibus et conditionibus, ut divinus cultus exinde minimum, quoad fieri poterit, detrimentum patiat (2).

Quoties abest a choro, officii seu auxilii Episcopo præstandi causa, licet in iis dumtaxat quæ ordinis sunt episcopalis, non lucratur tamen distributiones quotidianas, nec jure easdem percipiendi gaudet, nisi speciale indultum a Sede Apostolica aut a Sacra Congregatione Concilii obtinuerit (3).

II. Habitus ejus choralis est episcopalis, scilicet rocchetto supra subtanam, et mantelletum, non autem superpelliceum, neque habitus canonicalis.

In omnibus et singulis functionibus et actibus, tam intra quam

(1) S. C. C. in responso ad capitulum Antverpiense 20 Mart. 1590, et pridie Id. Nov. 1591: Zypæus et Scarfantonus locis cit. contra Lucium Ferraris *absens* art. II, n. 14.

(2) Ita Bened. XIV de Syn. lib. XIII, cap. XIV, n. IX.

(3) S. R. C. 19 Sept. 1859 *Mediolanen.* VI, *Analecta juris Pont.* 5, sér. 1860-1862, fol. 1048.

extra ecclesiam cathedralem peragendis, ei semper et ubique competit præcedentia supra omnes canonicos et dignitates omnesque Episcopali dignitate inferiores. Canonico tamen officium facienti locum cedit.

Cum functiones episcopales, absente vel impedito Episcopo, pertineant ad primam capituli dignitatem et successive ad sequentes, Episcopus suffraganeus nisi sit prima dignitas, easdem peragendi jus non habet. Episcopus diœcesanus suffraganeum suum quidem delegare valet ad munia Episcopalia, quæ « a dignitatibus et capitularibus impleri nequeunt; secus de iis quæ a dignitatibus et capitularibus ipsis impleri possunt, quæ alteri licet digniori, in præjudicium dignitatum aliorumque capitularium Episcopo de mandari non licet » (1).

Dum suffraganeus, functiones episcopales nomine proprii Episcopi exercet, dignitates et canonici ei assistere debitaque obsequia præstare tenentur.

Specialis reverentia præter generalem quæ choro exhibetur, ei facienda non est, quia hæc nullibi præscribitur, nec etiam supponitur.

Vid. Praxis Pontificalis tom. 3, n. 346 et 347, ubi plura habentur, quæ ad suffraganeum spectant.

### § 3. De Episcopo titulari canonico.

I. Choralis ejus habitus est Episcopalis, videlicet rocchetto supra subtanam, et mantelletum, non autem superpelliceum, neque habitus canonicalis, neque mozzetta.

Ratione episcopatus sedet in primo stallo supra omnes canonicos et dignitates, omnesque præcedit in processionibus, capitulo et quocumque capituli congressu, etiamsi alias in inferioribus chori stationibus, v. g. inter beneficiarios, sedisset. Soli canonico officium facienti locum cedit. Si tamen, v. g. in qualitate secundæ dignitatis assistat, primum stallum primæ etiam dignitati cedere debet.

In processionibus juxta cæremoniale Episcoporum lib. 2, cap. 32, n. 5. tanquam de gremio ecclesiæ, ibit cum capitulo, occupans digniorem locum, scilicet immediate ante Episcopum; non partici-

(1) S. R. C. 10 Junii 1656, *Lubecen.*

pando autem de distributionibus incedere potest post celebrantem, SS. Sacramentum deferentem.

In capitulo non tantum primum locum habet, sed ad ipsum etiam spectat, invocare Spiritum Sanctum, non autem tractanda proponere, neque regere aut dirigere capitulum. Dum tamen capituli præfectus aliquid proponit, debita cum urbanitate quasi licentiam ab eo petere debet, istum salutando. Sententiam suam dicere, et votum suum dare debet in loco suæ admissionis ad possessionem dignitatis seu canonicatus.

II. Episcopo diocesano pontificaliter celebranti ad altare assistere et inservire nequit, quia dignitati suæ præjudicium inferret, sed pluviali paratus assistit cum aliis canonicis in presbyterio.

Episcopo Ordinario missæ solemnæ assistente, tenetur ad circulos.

Thurificatur post presbyterum et duos diaconos in throno assistentes, ante alios quoscumque in choro, ab eo qui omnes alios incensat, triplici ductu absente Episcopo diocesano, et eo præsentem duplici tantum ductu. Neminem invitat ad prius capiendam incensationem, nisi Prælatum sui ordinis.

Pacem quoque omnium primus in choro accipit ab illo, qui eam aliis in choro distribuit, eamque alteri non dat, nisi Prælati sui ordinis.

In choro fruitur præeminentia primas antiphonas intonandi.

Specialis reverentia præter generalem, quæ choro exhibetur, ei facienda non est.

III. Quatenus canonicus, licet Episcopus, per se tamen exemptus non est a muneribus et officiis canonicalibus. Missam tamen et vesperas aliasque functiones in sua hebdomada occurrentes, sicut simplices sacerdotes sedendo in scamno et absque indumentis Pontificalibus, sibi celebrare non licet: quapropter in turno suo a celebrando abstinere, et alium subrogare debet: in solemnioribus vero festis, quæ in sua hebdomada occurrunt, celebrare potest, sed de licentia Episcopi ordinarii, et cum indumentis pontificalibus, sicut quandocumque solemniter celebrat, tenetur celebrare pontificaliter et cum paramentis pontificalibus, servatis servandis.

Vid. Praxis Pontificalis tom. 3, n. 347, ubi plurima habentur, quæ Episcopum titularem concernunt.

#### § 4. De Protonotariis aliisque Prælati Episcopo inferioribus.

I. Protonotarii ad instar participantium, si canonicatu aut dignitate in aliqua ecclesia potiantur, habitum prælatitium in choro deferre nequeunt, sed habitum suo canonicatu aut dignitati proprium gestare tenentur, excepta tantum veste talari, quæ violacea esse potest; eoque considerare et incedere debent loco, qui ipsis ratione beneficii competit. Quod si habitu prælatitio uti nihilominus velint, pro ea vice distributiones quotidianas amittunt, et eo casu præcedunt quidem quoscumque clericos, presbyteros, canonicos singillatim sumptos, necnon Prælatos superiores ordinum regularium, quibus Pontificalium privilegium non competit; minime vero vicarios generales vel capitulares, canonicos collegialiter unitos, et Abbates. Ita Constit. SS. D. N. Pii IX *Apostolicæ Sedis officium* IV Kal. Sept. 1872, qua derogatur quibuscumque indultis et privilegiis, capitulis, collegiis ac etiam peculiaribus personis quacumque dignitate fulgentibus, concessis.

II. Protonotarii titulares seu honorarii, qui dignitate aut canonicatu potiuntur, in choro habitum suæ dignitatis aut canonicatus gestare debent, non autem Prælatitium, neque vestem talarem coloris violacei; eoque in loco considerare debent, quem ex beneficio eos deceat. Quod si habitu Prælatitio uti velint, distributionibus quotidianis privantur. Habitu Prælatitio induti, omnibus clericis, sacerdotibus simplicibus, et etiam canonicis præferendi sunt singulatim sumptis, non vero in collegium coeuntibus (1); et in choro sedere nequeunt supra aut inter canonicos, neque inter alios de choro, sed post canonicos et abbates, si adsint (2).

III. Prælati domesticus S. S., qui est canonicus, licet in choro primum occupare possit locum (3), distributiones tamen amittit, si cum habitu prælatitio assistat (4).

(1) Ita decretum S. R. C. 27 Ap. 1818, confirmatum per Constit. Pii VII *Cum innumeris* Idibus Decemb. 1818.

(2) Vid. Praxis Pontif. tom. 1, n. 113.

(3) S. R. C. 3 Jul. 1745, *Aretina*.

(4) S. R. C. 3 Aug. 1839, *Maceraten*.